



LIBRI I. ET II.  
EPISTOLA DEDICATORIA

AD

SERENISSIMUM POTENTISSIMUMQUE PRINCI-  
PEM ac DOMINUM,  
DOMINUM

JOHANNEM GEORGIUM,  
Saxoniae, Juliaci, Cliviae & Montium Ducem, Sacri  
Rom. Imperii Electorem & Archimarescallum, Landgravium  
Thuringiae, Marchionem Misniae, Burggravium Magdebur-  
gensis, Comitem de Marca & Ravensberg, Dominum  
in Ravenstein &c.

ELECTOREM ET DOMINUM SUUM  
CLEMENTISSIMUM.

**I**nter omnia, quae in orthodoxis, & Augustanam invariatae Confessionem sincere  
amplexis piorum caetibus, sacrosancta habentur, & diligenter excutiuntur, dogmata,  
principem jure merito locum obtinet ipsum dogma de Scripturae sacrae, quam BI-  
BILLA appellare vulgo solemus, dignitate summa, jure sublimi & autoritate prae-  
eminenti. Est enim Scriptura haec Θεόπνευστος, a Deo ipso inspirata, verbo gentium  
Apostoli, utpote, quae λόγια τῆς Θεᾶς, eloquia Dei, & ῥήματα τῆς ζωῆς αἰωνίης, verba vi-  
tae aeternae, immediato Spiritus sancti afflatu per Amanuenses DEI per scripta, nobis  
exhibet. Est τὸ ἱερόν Sanctuarium ipsius DEI, quo nomine a Rabbiorum antesigna-  
nis vocari, PETRUS GALATINUS tradit: Est ψυχῆς τροφή, animae cibus, ATHANANASIO:  
imo communis medica animarum officina, BASILIO: est κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινης,  
norma veritatis invariabilis, IRENÆO: ἀπάντων ἀκριβὴς ζυγὸς καὶ γνώμων καὶ κανὼν,  
exquisita omnium rerum (Theologicarum) trutinā, & norma, & regula, CHRYSOSTO-  
MO: Est divina statera, AUGUSTINO: ATHANASIO vero anchora & sustentaculum fidei  
nostrae. Quae epitheta ἐγκωμιαστικά, & si quae alia in laudem Scripturae sanctae, omnem hu-  
manae laudis vim longo superantis, dici queunt, unius complexu vocis comprehendit Aposto-  
lorum Coryphaeus, dum θεμελίον fundamentum totius Jesu Christi Ecclesiae vocare eam  
non dubitat: Aedificati estis, (Christiani omnes & singuli) ἐπὶ τῷ θεμελίῳ super  
funda-

2. Tit. 3.

16.

Rom. 3. 2.

Joh. 6. 68.

Lib. 1. de

arc. Cath.

ver. c. 1.

Eph. 2.

10.